

æstu, & calore assiduo ob oculos poneretur, & perpendetur. Si namque tibi ex ipso fundamento notum esset, quo ex, & quomodo nimirum, Natura singula in adcretionem, florem, fructum, perfectionemque suam referret: tunc quoque haud ægre manus terræ germinibus adjiceres, & ex materia, qua Natura in terræ cœuernis ad diuersa germina vtitur, etiam & tuam intentionem in effectum, pro tuo lubitu, deduceres.

Quamobrem, mi frater, iterum atque iterum te nunc rogatum volo, ne in malam, sed bonam, partem mihi interpreteris, quod pristinum, à te peractum, laborem, & cottidie adhuc in Alchimia suscipere soles, omnino contemnam & reijciam: In tui gratiam emolumentumque illud facio, cum me non lateat, quod nullus, in vniuerso terrarum orbe, homo isto cum labore, circa quem tu occupatus es, aut aliquid efficere, vel ad veram metallorum transmutationem, quam affectas, peruenire queat. Abstineas itaque, inquam tibi pro superfluo, à labore isto, & mihi obtemperes, qui tibi veritatem præscribo, quam etiam coram Deo Ter Optumo Maxumo tuebor, neque mihi necessum est, vt mundum nouis mendaciis repleam, qui antea iisdem plus justo refertus est, idque à rerum imperitis, & in naturalibus Naturæ cœcis hominibus, qui per falsos libros se se ita seduci passi sunt, & ad sophisticos labores se se contulerunt, eoque ipso omnia sua bona fortunasque dilapidarunt, nec tamen ad veram artem conducibile quiddam perficere potuerunt, sed multo potius in labyrintho quasi implicati remanserunt, & in artis veritate omnino desperarunt. Illi, præterea, homines vltius progressi libros scribere inceperunt, non secus ac si

Kk 2 rem